INDEX
LECTIONVM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLXXXVIII

AB DIE XVI M. APRILIS

PVBLICE PRIVATIMQVE HABENDARVM

OBSERVATIONES PROFANAS ET SACRAS

EDVARDVS SCHWARTZ

PRAEMISIT

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010



Morem academicum secutus huic indici, quo uos, commilitones humanissimi, ad scholas aestiuas h. a. inuitamini, libellum addidi paruum et modestum qualis a philologo hac occasione proponi solet philologis. ne enim maiora ausus uos educere uellem ad id quod quasi culmen omnes philologiae nomine et munere digni petere solent, ad historiam rerum publicarum eloquentiae sapientiae poesis Graecorum Romanorumque, obstabant huiusmodi libellorum certi atque traditi fines. tamen neque ego in artioribus campis remansi inuitus neque uos aliter sensuros spero: summa enim lex philologiae ad altiora uetat ascendi nisi ex certo fundamento artis interpretandi et emendandi. artem dico, non artes: interpretatio et emendatio ut nomine et euentu differunt, ita eaedem sunt ui ac ratione. eamus ad locos ipsos quos tractandos mihi sumpsi.

PLATONIS Gorg. p. 461 b. c. Postquam Socrates Gorgiam disputando deuicit, qua erat adulescentia et iracundia Polus in illum inuehitur τί δαί, ὦ Σώκρατες; οὕτω καὶ σὺ περὶ τῆς ῥητορικῆς δοξάζεις ὥσπερ νῦν λέγεις; ἢ οἴει ὅτι Γοργίας ἠσχύνθη σοι μὴ προσομολογῆσαι τὸν ῥητορικὸν ἄνδρα μὴ οὐχὶ καὶ τὰ δίκαια εἰδέναι καὶ τὰ καλὰ καὶ τὰ ἀγαθὰ καὶ ἐὰν μὴ ἔλθῃ ταῦτα εἰδὼς παρ' αὐτόν, αὐτὸς διδάξειν, ἔπειτα ἐκ ταύτης ἴσως τῆς ὁμολογίας ἐναντίον τι συνέβη ἐν τοῖς λόγοις, τοῦτο ὃ δὴ ἀγαπᾷς αὐτὸς ἀγαγὼν ἐπὶ τοιαῦτα ἐρωτήματα· ἐπεὶ τίνα οἴει ἀπαρνήσεσθαι μὴ οὐχὶ καὶ αὐτὸν ἐπίστασθαι τὰ δίκαια καὶ ἄλλους διδάξειν; ἀλλ' εἰς τὰ τοιαῦτα ἄγειν πολλὴ ἀγροικία ἐστὶν τοὺς λόγους. laudant artem Platonis quod Polum per iram et affectum animi uehementem inconcinne loquentem fecerit, sed uereor ne scriptorem laudent inuitum. omnia enim optime inter se cohaerent; modo teneas ἢ οἴει non uertendum esse ‚num credis?' sed ‚nonne credis, puto te crediturum esse [du glaubst doch]'. ita οὐκ omitti solet in ἢ δῆλον, ἢ δῆλα δὴ ὅτι uel, ut alia quoque afferam exempla, in Euthydem. p. 278 e ἆρά γε πάντες ἄνθρωποι βουλόμεθα εὖ πράττειν; ἢ τοῦτο μὲν ἐρώτημα ὧν νυνδὴ ἐφοβούμην ἓν τῶν καταγελάστων; cf. quae secuntur simillima πῶς ἂν εὖ πράττοιμεν; ἆρ' ἂν εἰ ἡμῖν πολλὰ κἀγαθὰ εἴη; ἢ τοῦτο ἐκείνου ἔτι εὐηθέστερον; haud aliter ἆρα, non ἆρ' οὐκ ponitur, etsi de re ipsa non dubitatur, apud Aristophanem [Pac. 371] ἆρ' οἴσθα θάνατον ὅτι προεῖφ' ὁ Ζεὺς ὃς ἂν ταύτην ἀνορύττων εὑρεθῇ; et in Phaedro p. 241 e ἆρ' οἶσθ' ὅτι ὑπὸ τῶν Νυμφῶν, αἷς με σὺ προὔβαλες ἐκ προνοίας, σαφῶς ἐνθουσιάσω; propter pudorem, quem priore sententia descripsit, altera Polus Gorgiam sibi ipsum contradicere coactum esse ita dicit ut hanc alteram sententiae quae praecessit adnectat per particulam ἔπειτα qua siue participia siue προτάσεις siue enuntiata repeti et quasi firmissimo uinculo nouae sententiae adiungi solere omnes sciunt. exemplum extat Euthyd. p. 295 c τί οὖν, ἂν σὺ μὲν ἄλλῃ ἐρωτᾷς διανοούμενος, ἐγὼ δὲ ἄλλῃ ὑπολάβω, ἔπειτα πρὸς τοῦτο ἀποκρίνωμαι, ἐξαρκεῖ σοι, ἐὰν μηδὲν πρὸς ἔπος ἀποκρίνωμαι; ad tales contradictiones ex pudore ortas consulto Socratem sermones agere solere neque tunc a more suo discessisse quoniam quin nemo se iustitiam scire negaret ne ipsi quidem dubitare non licuisset. id enim premit Polus quaestiones istas periculosas non casu euenisse, sed ab ipso Socrate ex eius ipsius sententia esse propositas. ceterum hanc cauillationem Socrates urbane in ipsum Polum uertit p. 466 c νὴ τὸν κύνα,

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

ἀμφιγνοῶ μέντοι, ὦ Πῶλε, ἐφ' ἑκάστου ὧν λέγεις, πότερον αὐτὸς ταῦτα λέγεις καὶ γνώμην σαυτοῦ ἀποφαίνῃ ἢ ἐμὲ ἐρωτᾷς. ut ad propositum redeam, ubi iam, quaeso, est sermonis inconcinnitas quae Poli aetate et moribus excusetur?

Poli insolentiae urbana submissione Socrates respondit: ὦ κάλλιστε Πῶλε, ἀλλά τοι ἐξεπίτηδες κτώμεθα ἑτέρους υἱεῖς, ἵνα ἐπειδὰν αὐτοὶ πρεσβύτεροι γιγνόμενοι σφαλλώμεθα, παρόντες ὑμεῖς οἱ νεώτεροι ἐπανορθῶτε ἡμῶν τὸν βίον καὶ ἐν ἔργοις καὶ ἐν λόγοις· καὶ νῦν εἴ τι ἐγὼ καὶ Γοργίας ἐν τοῖς λόγοις σφαλλόμεθα, σὺ παρὼν ἐπανόρθου· δίκαιος δ' εἶ. conuiciis conuicia reddere non dignatus Polum etiam exhortatur ut munus impleat iuuenis atque se et Gorgiam seniores, si quidem uacillare uideantur, erigat, quod consilium repetit p. 466 a ἀλλ' οὐ μνημονεύεις τηλικοῦτος ὤν, ὦ Πῶλε; at quid latet sub uerbis ἑτέρους υἱεῖς? dum ex codicibus deterioris generis ἑταίρους καὶ υἱεῖς edebatur, nemo haesit; sed illam lectionem correctoribus codicum deberi iam certiores facti sumus. num huic loco codicum antiquorum notitia non lucem sed tenebras attulit? ante omnia hoc unum pro firmo constituatur disquisitionis fundamento ne ex loci conexu euellantur neque sodales neque filii. cum Polus sodalis Gorgiae sit et arroganter ut initio contra Chaerephontem ita nunc contra Socratem sodalis partes ipse susceperit, Socrates lepidissime eum sodalem suum quoque quippe qui Gorgiae amicus sit, esse contendens ut sodalis officia sibi ipsi praestet admonet atque id ne semel quidem, sed iterum idem officium Polo in mentem reuocat p. 470 c ἀλλὰ μὴ κάμῃς φίλον ἄνδρα εὐεργετῶν. quod officium idem Socrates ita describit ut maiores natu a minoribus adiuuandos esse dicat, neque aliter, ut dixi, paulo post Polum iuventutis memorem esse iubet ἀλλ' οὐ μνημονεύεις τηλικοῦτος ὤν, ὦ Πῶλε; quid? nonne sodalis sodalem semper adiuuare debet et minor maiorem et minorem maior? an sodalicium non initur nisi cum eis qui aetate inferiores sunt? immo filios decet iuuenes et robustos patrem senem et debilem supportare. accedit altera Socratis εἰρωνεία. sub specie admonitionis Polum uituperat non quod sodalis officium uiolauerit sed quod pietatem senectuti debitam neglexerit: iam quid magis impium filio patrem increpante? duo igitur prodiere argumenta: Socratem non loqui de uniuersis sodalibus sed de sodalibus minoris aetatis et huius generis sodalium officia cum filiorum officiis comparare, ut ab Aristide filius et sodalis legitimi componuntur [45 p. 20, 17] ἀλλ' εἴγε τινὰς ὥσπερ παῖδας οὕτως καὶ ἑταίρους χρὴ λέγειν γνησίους, γνήσιον Αἰσχίνην Σωκράτους παρειλήφαμεν. talia ut e codicum uestigiis eliciantur, scribendum esse censeo ἀλλά τοι ἐξεπίτηδες κτώμεθα ⟨ἑταίρους οἷον⟩ ἑτέρους υἱεῖς. denique uerbis ἑταίρους et ἑτέρους Platonem ludere uoluisse non affirmauerim etsi hoc lusu coniecturam meam non commendari nescio an negem.

Ibidem p. 450 c. Socrates quaerit ἆρ' οὖν μανθάνω οἵαν αὐτὴν βούλει καλεῖν; haec Socrates dicere non potuit nisi forte Gorgiam et ceteros temere iterum iterumque increparet quod qualis sit ars oratoria dicerent neque responderent quid esset uel quae ars. praeterea οἵαν cum uerbo καλεῖν coniungi nullo modo potest. non dubito quin Plato scripserit οἷον αὐτὴν βούλει καλεῖν ut Gorgiam nomen artis latius et parum accurate indicasse significaret. cf. Men. p. 80 e μανθάνω οἷον βούλει λέγειν, ὦ Μένων.

Ibidem p. 471 d. καὶ κατ' ἀρχὰς τῶν λόγων, ὦ Πῶλε, ἔγωγέ σε ἐπῄνεσα ὅτι μοι δοκεῖς εὖ πρὸς τὴν ῥητορικὴν πεπαιδεῦσθαι, τοῦ δὲ διαλέγεσθαι ἠμεληκέναι. nihili esse ἐπῄνεσα, cum uituperatio sequeretur, non laus, Cobetus [Mnem. n. s. 2 p. 124] intellexit. neque ex ironia talia excusari licet praesertim cum in ceteris serio, ne dicam seuere, Socrates loquatur. tamen hoc concesserim formula μοὶ δοκεῖς pro οὐ χρή talibus posita Socratem leniter et caute incipientem depingi. restituendum igitur uerbum esse censeo uituperandi, sed Socratis urbanitati aptum et accommodatum. ultro se praebet ὑπέμνησα. neque enim illa tantummodo in memoriam reuocantur quae olim uel dicta uel facta sunt, sed etiam ea quae omnibus nota esse ex dicentis sententia debent. cf. Lach. p. 179 b εἰ δ' ἄρα πολλάκις μὴ

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

προσεσχήκατε τὸν νοῦν τῷ τοιούτῳ, ὑπομνήσοντες ὅτι οὐ χρὴ αὐτοῦ ἀμελεῖν, καὶ παρακαλοῦντες ὑμᾶς ἐπὶ τὸ ἐπιμέλειάν τινα ποιήσασθαι τῶν ὑέων κοινῇ μεθ' ἡμῶν. Plut. de am. et adul. p. 70 d ὁ χαρίεις τοὺς μὲν λοιδοροῦντας ἀνακόπτων καὶ διακρουόμενος, ἰδίᾳ δ' αὐτὸς ἁπτόμενος τοῦ φίλου καὶ ὑπομιμνήσκων ὡς εἰ διὰ μηδὲν ἄλλο προσεκτέον αὐτῷ, ὅπως γε μὴ θρασεῖς ὦσιν οἱ ἐχθροί. optime in Gorgiae locum quadrant Plutarchea de Menandro [de tranq. an. p. 466 a] τοὺς μὲν γὰρ ἀφωρισμένως ἕνα βίον ἄλυπον νομίζοντας, ὡς ἔνιοι τὸν τῶν γεωργῶν ἢ τὸν τῶν ἡθέων ἢ τὸν τῶν βασιλέων, ἱκανῶς ὁ Μένανδρος ὑπομιμνήσκει λέγων· ὤμην ἐγὼ τοὺς πλουσίους . . . οὐ στένειν τὰς νύκτας κτλ.

Ibidem p. 456 d. Gorgias artis oratoriae usum cum ceteris artibus certandi comparat: δεῖ μέντοι, ὦ Σώκρατες, τῇ ῥητορικῇ χρῆσθαι ὥσπερ τῇ ἄλλῃ πάσῃ ἀγωνίᾳ. καὶ γὰρ τῇ ἄλλῃ ἀγωνίᾳ οὐ τούτου ἕνεκα δεῖ πρὸς ἅπαντας χρῆσθαι ἀνθρώπους, ὅτι ἔμαθεν πυκτεύειν τε καὶ παγκρατιάζειν καὶ ἐν ὅπλοις μάχεσθαι ὥστε κρείττων εἶναι καὶ φίλων καὶ ἐχθρῶν, οὐ τούτου ἕνεκα τοὺς φίλους δεῖ τύπτειν οὐδὲ κεντεῖν τε καὶ ἀποκτεινύναι. laborant interpretes ubi distinguendum sit. num post ἐχθρῶν? at sententiae ὥστε κρείττων εἶναι καὶ φίλων καὶ ἐχθρῶν et οὐ . . τοὺς φίλους δεῖ τύπτειν altera alteram fulciunt: id ipsum Gorgias dicit amicis inimicisque arte praestare alterum esse, alterum hac praestantia contra amicos dolo malo uti. nihil restare uidetur nisi ut prima sententia καὶ γὰρ . . . χρῆσθαι ἀνθρώπους a ceteris separetur. iam pendet prius τούτου ἕνεκα: ‚dittographia est', inquiunt, ‚deleatur'. o profundam et nouam sapientiam Gorgiae arte certandi non contra omnes homines utendum esse dicentis! num istud tritum et ineptum consilium ad eloquentiae artem defendendam quicquam ualet? sed aptissime Gorgias siquis artis qualiscunque summam scientiam adeptus fuerit, inde sequi negat ut ille hac ipsa summa scientia semper sine discrimine contra omnes utatur. neque hoc solum obstat quominus post ἀνθρώπους oratio interrumpatur. quod enim protasis ὅτι ἔμαθε subiecto definito caret, aegre fertur cum huic protasi nihil praecedit, facile et ex usu sermonis Graeci excusatur illa cum eis quae praecedunt ita conexa ut de subiecto nulla dubitatio relinquatur. cf. locum qui sequitur p. 457 c a uiris doctis indocte temptatum: οἶμαι ὦ Γοργία καὶ σὲ ἔμπειρον εἶναι πολλῶν λόγων καὶ καθεωρακέναι ἐν αὐτοῖς τὸ τοιόνδε ὅτι οὐ ῥᾳδίως δύνανται περὶ ὧν ἂν ἐπιχειρήσωσιν διαλέγεσθαι διορισάμενοι πρὸς ἀλλήλους καὶ μαθόντες καὶ διδάξαντες ἑαυτοὺς οὕτω διαλύεσθαι τὰς συνουσίας. facillime ex πολλῶν λόγων subiectum οἱ πολλοί enuntiato quod sequitur infertur in similem sententiam atque in Phaedro p. 237 c εἰδέναι δεῖ περὶ οὗ ἂν ᾖ ἡ βουλή, ἢ παντὸς ἁμαρτάνειν ἀνάγκη. τοὺς δὲ πολλοὺς λέληθεν ὅτι οὐκ ἴσασιν τὴν οὐσίαν ἑκάστου. ὡς οὖν εἰδότες οὐ διομολογοῦνται ἐν ἀρχῇ τῆς σκέψεως. neque diuersum putauerim locum Protag. p. 319 d καὶ τούτοις οὐδεὶς τοῦτο ἐπιπλήττει ὥσπερ τοῖς πρότερον ὅτι οὐδαμόθεν μαθὼν οὐδὲ ὄντος διδασκάλου οὐδενὸς αὐτῷ ἔπειτα συμβουλεύειν ἐπιχειρεῖ. denique graui commate post ἀνθρώπους posito asyndeton oritur mea quidem sententia Platonis stilo indignum. haec enim figura non minus quam paromoeosis homoeoteleuton talia aliena est a dialogo sermonem hominum doctrina et arte instructorum imitante, non illum cottidianum et uolgarem, attamen fuco et pompa liberum et uita floridum neque scholarum formulis et figuris inseruientem. ut argumentis ita stilo quoque Socratis discipulus sophistas et rhetores impugnauit. rara igitur apud Platonem extant asyndeta quale legitur in Protagorae ἐπιδείξει p. 325 c. imprimis cauendum est ne asyndeton statuatur ubicunque binae sententiae sine particula coordinatae inueniuntur. hoc de iis locis innumeris quiuis puto concedet quibus siue interrogationem siue admonitionem siue adnuntiationem ipsa sequitur argumenti expositio: notatum tamen esse uelim in eiusmodi conexu sententiarum a Platone particulam γάρ saepe esse additam. deinde ex ipsa natura atque indole sermonis consequitur ut quae quasi pro appendicibus adnectuntur breues exceptiones uel confirmationes, particularum uincula respuant. cf. Phaedr. p. 242 b οἶμαι γὰρ ἐγὼ τῶν ἐπὶ τοῦ σοῦ βίου γεγονότων μηδένα πλείους ἢ σὲ πεποιηκέναι γεγενῆσθαι ἤτοι αὐτὸν λέγοντα ἢ ἄλλους . . . προσαναγκάζοντα. Σιμίαν Θηβαῖον ἐξαιρῶ λόγου. Protag. p. 339 a καὶ δὴ καὶ νῦν ἔσται τὸ ἐρώτημα περὶ τοῦ αὐτοῦ

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

μὲν περὶ οὗπερ ἐγώ τε καὶ σὺ νυνδὴ διελεγόμεθα, περὶ ἀρετῆς, μετενηνεγμένον δ' εἰς ποίησιν· τοσοῦτον μόνον διοίσει. resp. 1 p. 350 c ὁ δὲ Θρασύμαχος ὡμολόγησε μὲν πάντα ταῦτα, οὐχ ὡς ἐγὼ νῦν ῥᾳδίως λέγω, ἀλλ' ἑλκόμενος καὶ μόγις . . . τότε καὶ εἶδον ἐγώ, πρότερον δὲ οὔπω, Θρασύμαχον ἐρυθριῶντα. ibid. p. 351 a νῦν δέ γ', ἔφην, εἴπερ σοφία τε καὶ ἀρετή ἐστι δικαιοσύνη, ῥᾳδίως, οἶμαι, φανήσεται καὶ ἰσχυρότερον ἀδικίας, ἐπειδήπερ ἐστὶν ἀμαθία ἡ ἀδικία· οὐδεὶς ἂν ἔτι τοῦτο ἀγνοήσειεν. Euthyphr. p. 9 c θεομισὲς μὲν γὰρ τοῦτο τὸ ἔργον, ὡς ἔοικεν, εἴη ἄν· ἀλλὰ γὰρ οὐ τούτῳ ἐφάνη ἄρτι ὡρισμένα τὸ ὅσιον καὶ μή· τὸ γὰρ θεομισὲς ὂν καὶ θεοφιλὲς ἐφάνη· ὥστε τούτου ἀφίημί σε, ὦ Εὐθύφρον· εἰ βούλει, πάντες αὐτὸ ἡγείσθωσαν θεοὶ ἄδικον καὶ πάντες μισούντων. denique multis locis oratio Platonica non hanc ob causam uinculo soluta est ut figura asyndeti conformaretur, sed ut altera sententia alteri explicandi gratia simpliciter apponeretur. quem usum optime ut solet Ludouicus Fridericus Heindorf illustrauit eis quae ad Sophist. p. 239 e adnotauit. exemplis, quos uir γραμματικώτατος congessit, haec ex mea ipsius obseruatione addo: Polit. p. 297 a καὶ πάντα ποιοῦσι τοῖς ἔμφροσιν ἄρχουσιν οὐκ ἔστιν ἁμάρτημα, μέχριπερ ἂν ἓν μέγα φυλάττωσι, τὸ μετὰ νοῦ καὶ τέχνης δικαιότατον ἀεὶ διανέμοντες τοῖς ἐν τῇ πόλει σῴζειν τε αὐτοὺς οἷοί τε ὦσι καὶ ἀμείνους ἐκ χειρόνων ἀποτελεῖν κατὰ τὸ δυνατόν. Gorg. p. 479 b κινδυνεύουσι . . ἐκ τῶν νῦν ἡμῖν ὡμολογημένων τοιοῦτόν τι ποιεῖν καὶ οἱ τὴν δίκην φεύγοντες, ὦ Πῶλε, τὸ ἀληθινὸν αὐτοῦ καθορᾶν, πρὸς δὲ τὸ ὠφέλιμον τυφλῶς ἔχειν καὶ ἀγνοεῖν ὅσῳ κτλ. Pol. 257 c ταῦτ' ὦ Θεόδωρε, ποιητέον, ἐπείπερ ἅπαξ γε ἐγκεχειρήκαμεν, οὐκ ἀποστατέον πρὶν ἂν αὐτῶν πρὸς τὸ τέλος ἔλθωμεν. resp. 1 p. 337 c ἄλλο τι οὖν, ἔφη, καὶ σὺ οὕτω ποιήσεις, ὧν ἐγὼ ἀπεῖπον, τούτων τι ἀποκρινεῖ. Symp. p. 175 b ἔθος γάρ τι τοῦτ' ἔχει, ἐνίοτε ἀποστὰς ὅποι ἂν τύχῃ ἕστηκεν. Euthyd. p. 275 a τοῦτο δ' αὐτὸ ἐπιδείξασθον, τουτονὶ τὸν νεανίσκον πείσατον φιλοσοφεῖν. uidetis semper praecedere uerbum ποιεῖν uel simile quid indefiniti, sequi accuratam explicationem eius quod fit siue futurum est. grauiter igitur errauit interpres Platonis et huius ipsius usus quasi inuentor cum ex hoc usu defendit locum Protag. p. 343 d τοῦτο γὰρ οὐδὲ πρὸς ἕνα λόγον φαίνεται ἐμβεβλῆσθαι, ἐὰν μή τις ὑπολάβῃ πρὸς τὸ τοῦ Πιττακοῦ ῥῆμα ὥσπερ ἐρίζοντα λέγειν τὸν Σιμωνίδην λέγοντος τοῦ Πιττακοῦ ὅτι χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι ἀμφισβητοῦντα εἰπεῖν ὅτι κτλ. comparatur enim ab Heindorfio eiusdem dialogi p. 348 a τοὺς τοιούτους μοι δοκεῖ χρῆναι μᾶλλον μιμεῖσθαι ἐμέ τε καὶ σέ, καταθεμένους τοὺς ποιητὰς αὐτοὺς δι' ἡμῶν αὐτῶν πρὸς ἀλλήλους τοὺς λόγους ποιεῖσθαι. ecce primo uerbum quod latius patet, deinde in partes distinctum definitur et circumscribitur: illic uerba siue latiora siue angustiora in uanum quaeras, neque πρὸς τὸ τοῦ Πιττακοῦ ῥῆμα ὥσπερ ἐρίζοντα λέγειν eis quae secuntur λέγοντος τοῦ Πιττακοῦ . . . ἀμφισβητοῦντα εἰπεῖν definiuntur sed miro quodam modo repetuntur. at simillimus hic locus est illi Gorgiano de cuius distinctione dubitatio mota est. hic quoque extat repetitio et uerborum οὐ τούτου ἕνεκα δεῖ et sententiarum τῇ ἄλλῃ ἀγωνίᾳ πρὸς ἅπαντας χρῆσθαι ἀνθρώπους atque τοὺς φίλους τύπτειν οὐδὲ κεντεῖν τε καὶ ἀποκτεινύναι. siquis de interpretatione Heindorfiana cogitauerit, obstabit repetitio uerbi δεῖ. quid igitur statuendum?

Placide et oboedienter sequamur scriptoris orationem neue uerba scripta a nobis legi putemus sed ipsum uel Gorgiae uel Socratis sermonem audiri. Gorgias expositurus est quae inter usum artis oratoriae et agonisticae necessitudo intercedat. ne hac quidem peritia contra omnes eam ob causam esse utendum quod quis arte pugnare et uincere ita didicerit ut omnes superet, et inimicos et amicos. uiuide et celeriter fluit oratio, minime ex logicorum schematibus suae cuique periodi membro partes adscriptae sunt, sed ab alio semper aliud ac nouum generatur. satis erat dicere ὅτι ἔμαθε, sed sua sponte oratio in partes singulas artis incurrit; athletae omnibus superioris descriptio subito parit discrimen amici et inimici; hoc discrimine ad initium et caput sententiae reuoluimur sed ita reuoluimur ut illud et copiosius et acutius redeat. non membra esse putes grammatica ratione disposita, sed uera membra uerumque orationis corpus spirans et animatum. neque aliud obseruatur in loco Protagorae. initio collocauit Socrates πρὸς τὸ τοῦ Πιττακοῦ ῥῆμα ὥσπερ ἐρίζοντα, unde cetera pendent. tamen

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010 6 of 20

longius aberat τὸ—ῥῆμα quam ut ipsa Pittaci uerba in suspenso teneat, de integro ut solemus in loquendo, incipit Socrates λέγοντος τοῦ Πιττακοῦ — ἔμμεναι. iam dictum Pittaci in memoriam audientium rediit, non sufficit quod paulo incertius ponebatur ὥσπερ ἐρίζοντα λέγειν; ita certauisse Simonidem dicendum erat ut de dicti illius ueritate dubitaret: nouo initio noua adcrescit clausula ἀμφισβητοῦντα εἰπεῖν e. q. s.

‚Late apud Platonem interpolatio grassata est: turpia additamenta, non Platonis stilum laudas.' timidus incertusque audio clamorem ferocem uirorum fortium qui sine mora accurrunt ubicunque in dumetis et latebris periodorum Platonicarum nequissimum uaferrimum ineptissimum interpolatorem odorati sunt. parcite, precor: ecce alii loci similes, an omnes decurtaturi estis noxios innoxios? Lach. p. 186 d τοῦτο οὖν σου ἐγὼ ἀντιδέομαι, ὦ Λυσίμαχε, καθάπερ ἄρτι Λάχης μὴ ἀφίεσθαί σε ἐμοῦ διεκελεύετο ἀλλὰ ἐρωτᾶν, καὶ ἐγὼ νῦν παρακελεύομαί σοι μὴ ἀφίεσθαι Λάχητος μηδὲ Νικίου, ἀλλ' ἐρωτᾶν λέγοντα. a uerbo ἀντιδέομαι enuntiatum comparatiuum reuelli non potest, hinc iterum pendent καὶ ἐγὼ νῦν παρακελεύομαι. simili modo simile enuntiatum duplici apodosi circumdatur Gorg. p. 448 e ἀλλ' οὐδεὶς ἠρώτα ποία τις εἴη ἡ Γοργίου τέχνη, ἀλλὰ τίς καὶ ὅντινα δέοι καλεῖν τὸν Γοργίαν, ὥσπερ τὰ ἔμπροσθέν σοι ὑπετείνατο Χαιρεφῶν καὶ αὐτῷ καλῶς καὶ διὰ βραχέων ἀπεκρίνω, καὶ νῦν οὕτως εἰπὲ τίς ἡ τέχνη καὶ τίνα Γοργίαν καλεῖν χρὴ ἡμᾶς et Alcib. I p. 108 d τί οὖν τὸ κατὰ ταύτην ὀρθῶς γιγνόμενόν ἐστιν, ὥσπερ ἐκεῖ ἐγώ σοι τὸ κατὰ τὴν τέχνην ἔλεγον ὀρθῶς, τὴν γυμναστικήν, καὶ σὺ δ' οὖν οὕτως ἐνταῦθα τί φῄς; πῶς γίγνεσθαι; quibus duobus locis per solitam distinctionem asyndeton infertur molestum et a Platone alienum. repetitiones breuissimo interuallo separatae extant Prot. p. 311 e τί ὄνομα ἄλλο γε λεγόμενον περὶ Πρωταγόρου ἀκούομεν, ὥσπερ περὶ Φειδίου ἀγαλματοποιὸν καὶ περὶ Ὁμήρου ποιητήν, τί τοιοῦτον περὶ Πρωταγόρου ἀκούομεν; ubi Heindorfii distinctio a Schanzio bene correcta est. miro tamen modo ille ut hoc loco falsam distinctionem proposuit, ita ueram restituit Cratyl. p. 395 e καὶ ἀτεχνῶς ἔοικεν ὥσπερ ἂν εἴ τις βουλόμενος ταλάντατον ὀνομάσαι ἀποκρυπτόμενος ὀνομάσειε καὶ εἴποι ἀντ' ἐκείνου Τάνταλον, τοιοῦτόν τι καὶ τούτῳ τὸ ὄνομα ἔοικεν ἐκπορίσαι ἡ τύχη τῆς φήμης. non uerbum repetitur, sed aduerbia in quibus cardo sententiae uertitur resp. I p. 346 b ἦ ἐάνπερ βούλῃ ἀκριβῶς διορίζειν ὥσπερ ὑπέθου, οὐδέν τι μᾶλλον, ἐάν τις κυβερνῶν ὑγιὴς γίγνηται διὰ τὸ ξυμφέρειν αὐτῷ πλεῖν ἐν τῇ θαλάττῃ, ἕνεκα τούτου καλεῖς μᾶλλον αὐτὴν ἰατρικήν; splendida huius figurae documenta periodi exstant summa arte expolitae Prot. p. 328 a et Men. p. 86 e. exscripsi locum Clitophontis ut me quoque Platonis uerba interpretamentis liberare uelle agnoscatur [p. 408 e]: πῶς ἄρχεσθαι δεῖν φαμὲν δικαιοσύνης πέρι μαθήσεως, ὥσπερ ἂν εἴ τις ἡμᾶς προὔτρεπεν τοῦ σώματος ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι, μηδὲν προνοοῦντας ὁρῶν καθάπερ παῖδας [ὡς ἔστιν τις γυμναστικὴ καὶ ἰατρική] κἄπειτα ὠνείδιζεν λέγων ὡς αἰσχρὸν πυρῶν μὲν καὶ κριθῶν καὶ ἀμπέλων ἐπιμέλειαν πᾶσαν ποιεῖσθαι καὶ ὅσα τοῦ σώματος ἕνεκα διαπονούμεθά τε καὶ κτώμεθα, τούτου δ' αὐτοῦ μηδεμίαν τέχνην μηδὲ μηχανὴν ὅπως ὡς βέλτιστον ἔσται τὸ σῶμα ἐξευρίσκειν, καὶ ταῦτα οὖσαν, εἰ δ' ἐπανηρόμεθα τὸν ταῦθ' ἡμᾶς προτρέποντα· λέγεις δὲ εἶναι τίνας ταύτας τὰς τέχνας; εἶπεν ἂν ἴσως ὅτι γυμναστικὴ καὶ ἰατρική, καὶ νῦν δὴ τίνα φαμὲν εἶναι τὴν ἐπὶ τῇ τῆς ψυχῆς ἀρετῇ τέχνην; ceterum haec forma loquendi a Platone non inuenta est, sed ex ipso sermone Attico desumpta: cf. Aristoph. Ran. 1182 ἦν Οἰδίπους τὸ πρῶτον εὐδαίμων ἀνήρ. — μὰ τὸν Δί' οὐ δῆτ' ἀλλὰ κακοδαίμων φύσει, ὅντινά γε πρὶν φῦναι μὲν ἀπόλλων ἔφη ἀποκτενεῖν τὸν πατέρα πρὶν καὶ γεγονέναι, πῶς οὗτος ἦν τὸ πρῶτον εὐδαίμων ἀνήρ; enuntiatum relatiuum alterius apodoseos causam adnectit, alteram praeparat: omnia artissime cohaerent. haec de ipsa re dixi: relinquitur ut rei nomen detur. sed hoc Vahlen occupauit cum in programmate Berolinensi a. h. s. LXXX/LXXXI locum libelli περὶ ὕψους optime, ut multos alios, defenderet [p. 10]: ‚illud adiicimus quod cum nostro proposito coniunctum est, alteram sententiam, qua per παλινδρομίας formam ad initium reditur (nam perperam in editionibus interpungitur) . . . non eo modo quo par erat ad finem deduci' etc. locus legitur p. 25, 26 editionis recentissimae, 31, 4 Iahnianae: πολλοὶ

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

γὰρ ἀλλοτρίῳ θεοφοροῦνται πνεύματι τὸν αὐτὸν τρόπον, ὃν καὶ τὴν Πυθίαν λόγος ἔχει τρίποδι πλησιάζουσαν ... αὐτόθεν ἐγκύμονα τῆς δαιμονίου καθισταμένην δυνάμεως παραυτίκα χρησμῳδεῖν κατ' ἐπίπνοιαν, οὕτως ἀπὸ τῆς τῶν ἀρχαίων μεγαλοφυΐας εἰς τὰς τῶν ζηλούντων ἐκείνους ψυχὰς ὡς ἀπὸ ἱερῶν στομίων ἀπόρροιαί τινες φέρονται κτλ.

Optime, ut dixi, et praeclare multos locos libelli ΠΕΡΙ ΥΨΟΥΣ editor recentissimus a coniecturarum turba defendit, minus fausto euentu nuper Maximilianus Rothstein eum secutus est. utinam ne Hesychii glossis abusus esset ut certam uel interpretationem uel emendationem huius illiusue loci perturbaret! ut cetera omittam, in Hyperidis χαρακτηρισμῷ explicando nodum, ut aiunt, in scirpo quaesiuisse uidetur. laudantur illius oratoris [p. 53, 7] σκώμματα οὐκ ἄμουσα οὐδ' ἀνάγωγα κατὰ τοὺς Ἀττικοὺς ἐκείνους ἀλλ' ἐπικείμενα. adnotat Rothstein [Herm. 22 p. 539]: ‚in his quosnam Atticos dicat, apertum est; comici sunt, qui hic, ubi cum Hyperide, et ipso Attico, comparantur, non Attici dicendi erant, sed hoc ipsum comici uel ueteres uel alio aliquo modo. usus tamen est significatione, qua uti fortasse consueuerat, hic non apta, neque sine damno sententiae.' istius modi ratiocinatione omnia excusare licet: si ita ille locum intellegendum esse censebat, certo praestabat Iahnii uel Hauptii coniecturis adstipulari. ‚Attici illi' neque dicuntur neque dici possunt nisi ei qui tunc uiuebant aequales Hyperidis. quibus tacite opponuntur qui nunc Hyperidem iudicant, cum uel Attici sint uel Atticos se esse censeant. haud aliter Cicero dicit in Oratore [23], criticorum argutias animose perstringens: itaque nobis monendi sunt hi quorum sermo imperitus increbruit qui aut dici se desiderant Atticos aut ipsi Attice uolunt dicere ut mirentur hunc maxime quo ne Athenas quidem ipsas magis credo fuisse Atticas. quid enim sit Atticum discant ab eo eloquentiamque ipsis uiribus non imbecillitate sua metiantur et in Bruto [284]: tum Brutus, Atticum se, inquit, Caluus noster dici oratorem uolebat: inde erat ista exilitas quam ille de industria consequebatur atque de imitatione Demosthenis [289]: o di boni! quid, quaeso, nos aliud agimus aut quid aliud optamus? at non assequimur. isti enim uidelicet Attici nostri quod uolunt assecuntur. optime uero loco nostro apponuntur quae de ridiculo in Oratore [88] praecepit: illud admonemus tamen ridiculo sic usurum oratorem ut nec nimis frequenti, ne scurrile sit, nec subobsceno, ne mimicum, nec petulanti, ne improbum, nec in calamitatem, ne inhumanum, nec in facinus, ne odi locum risus occupet, neque aut sua persona aut iudicum aut tempore alienum: haec enim ad illud indecorum referuntur. uitabit etiam quaesita nec ex tempore ficta, sed domo allata, quae plerumque sunt frigida; parcet et amicitiis et dignitatibus, uitabit insanabiles contumelias, tantummodo aduersarios figet, nec eos tamen semper omnes nec omni modo. quibus exceptis sic utetur sale et facetiis, ut ego ex istis nouis Atticis talem cognouerim neminem, cum id certe sit quam maxume Atticum. apparet igitur inter Atticistas extitisse quibus Hyperidis sales nimis acerbi Musarumque cultore indigni uiderentur. putaueris Caecilium a scriptore anonymo impugnari; quisquis tamen fuit, eum certum est Peripateticorum doctrinam Hyperidis cauillationibus adhibuisse. σκῶμμα λοιδόρημά τι εἶναι cum definiuisset Aristoteles [eth. Nic. Δ 14 p. 1128 a 30] neque omnia σκώμματα esse ingenua, Theophrastus aperte cum hominibus rixari uetuit, iussit tecte et figurate in uitiis ludere [Plut. symp. 2, 1 p. 631 e]: ὀνειδισμός .. ἐστι τῆς ἁμαρτίας παρεσχηματισμένος τὸ σκῶμμα κατὰ τὸν Θεόφραστον. illos ut solet secutus est Demetrius ille qui de elocutione scripsit [172]: περὶ δὲ σκωμμάτων μέν, οἷον εἰκασία τίς ἐστιν .... τοῖς μὲν τοιούτοις χρήσονται· εἰ δὲ μή, φευξόμεθα τὰ σκώμματα ὥσπερ λοιδορίας. praeterea Aristotelem notum est Cratini Eupolidis Aristophanis ceterorum antiquorum lasciuiae homines nominatim

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

cauillantium praetulisse elegantiam nouae comoediae quae χαρακτῆρας atque uitia irrideret: cf. Bernays, Ergänzung zu Aristoteles Poetik p. 148 sq. hoc iudicium multi probauere: satis habeo Plutarchum attulisse cui in antiquis uehementer displicebant ἡ πρὸς τὰ σκώμματα καὶ βωμολοχίας εὐχέρεια δεινῶς κατάκορος καὶ ἀναπεπταμένη καὶ γέμουσα ῥημάτων ἀκόσμων καὶ ἀκολάστων ὀνομάτων [sympos. 7, 8 p. 712 a]. idem alio loco [de adul. et am. p. 68 b] dicit: ἐπεὶ καὶ τοῖς κωμικοῖς πολλὰ πρὸς τὸ θέατρον αὐστηρῶς καὶ πληκτικῶς ἐπεποίητο· συμμεμιγμένον δὲ τὸ γελοῖον αὐτοῖς καὶ βωμολόχον, ὥσπερ σιτίοις ὑπότριμμα μοχθηρόν, ἐξίτηλον ἐποίει τὴν παρρησίαν καὶ ἄχρηστον, ὥστε περιῆν κακοηθείας δόξα καὶ βδελυρίας τοῖς λέγουσι, χρήσιμον δὲ τοῖς ἀκούουσιν οὐδὲν ἀπὸ τῶν λεγομένων. denique bene animaduertatur ab Atticistis plurima ex doctrinae Peripateticae fonte hausta esse: haec tamen longiore egent disputatione.

Redeamus ad locum libelli περὶ ὕψους; restat enim ut de uerbo ἐπικείμενα disputemus. si recte loci sententiam percepi, hanc siue uocem siue uocis reliquias a uiris doctis falso mutatam explicatamue esse apparet, cum aut coniecere ἐπιεικῆ ἐπικεχαριτωμένα εὐσχήμονα aut talem notionem noua quadam interpretandi ratione loco tot tantosque impetus perpesso inculcauere. ut scribit Rothstein l. l. ‚alia etiam hoc ipso loco posuit quae aliorum scriptorum usu non commendantur . . . dicens . . . ἐπικείμενα de salibus leuiter et eleganter orationi adspersis, ubi alii ἐπιτρέχειν uel ἐπανθεῖν potius dixissent.‘ at quonam modo Hyperidis lasciuia et libertas excusari et poterat et debebat? aequalium auribus et sensibus se accommodabat: illi oratorem non tam artis finibus coercebant quam ‚imbecillitas‘ posteriorum, sed effrenatas quoque et crudas cauillationes ferebant, dummodo occasioni cuique aptae essent, aduersarium tangerent morderent profligarent. ea igitur σκώμματα dicuntur ἐπικείμενα quae grauiter urgeant deque proximo lacessant. audacter dicuntur neque tamen ita audacter ut sermonis Graeci usum quod uiolauerit scriptor accusetur. imago desumpta est ex militibus qui hostem insectantur et insectando opprimunt, cuius rei ἐπικεῖσθαι sollemne uocabulum esse historici testantur. ecce translationis exempla: Aristoph. Equ. 251 ἀλλὰ παῖε καὶ δίωκε καὶ τάραττε καὶ κύκα καὶ βδελύττου, καὶ γὰρ ἡμεῖς, κἀπικείμενος βόα. Vesp. 1285 ἡνίκα Κλέων μ' ὑπετάραττεν ἐπικείμενος καί με κακίαις ἔκνισε. [Plut.] apophthegm. Lacon. p. 236 d ἐπικειμένου δὲ μᾶλλον καὶ λέγοντος.

Pauca sufficient de loco ARISTIDIS 45 p. 4, 7 Iebb. ἅπαντας μὲν οὖν ἴσως τοὺς παλαιοὺς αἰδεῖσθαι μὲν δίκαιον, φρίττειν δὲ οὐκ ἄξιον, εἴπερ μὴ τοὺς ἐπὶ τοῖς λόγοις ὀνομασθέντας μᾶλλον ἢ τοὺς λόγους αὐτοὺς δεῖ δοκεῖν τιμᾶν· ὅτι δ' εἰ πρὸς ἄλλον τινὰ χρὴ γνώμης οὕτως ἔχειν, καὶ πρὸς Πλάτωνα, οὐκ ἄλλου δέομαι μάρτυρος, ἀλλ' αὐτὸς ἐξαρκεῖ οὐ μόνον οἷς ἁπανταχοῦ βοᾷ καὶ παρακελεύεται μηδὲν πρότερον ποιεῖσθαι τῆς ἀληθείας, ἀλλὰ καὶ ὀλίγῳ τῷ παραδείγματι. ὀλίγῳ corruptum esse apparet. Reiskius adnotauit: ‚ὀλίγου, paene dixerim. aut καὶ οὐκ ὀλίγῳ, et exemplo non contemnendo. sed prius praefero. in τῷ παραδείγματι subauditur ἑαυτοῦ, suomet exemplo.‘ ultima bene; coniecturas necessitas peperit, non meditatio. corrigendum esse censeo ὅλῳ γε cl. loco qui sequitur [p. 13, 15 Iebb.]: φανήσεται γὰρ ἃ νῦν ἡμεῖς λέγομεν αὐτὸς πρόσθεν εἰρηκώς, εἰ καὶ μὴ τούτοις τοῖς ῥήμασιν μηδ' εἰς τοσοῦτον τῆς ἀναγκαίας ἀποδείξεως, ἀλλ' οὖν τῷ γε ὅλῳ λόγῳ.

MAXIMVS TYRIVS in dissertatione decima ueterem medicinam qualem dii et heroes excoluerint, arte recenti non inferiorem fuisse ita probat ut temporibus aliis alia remedia apta esse exponat. Aesculapium introducit loquentem [p. 168 Reisk.] ὅτι τὰς μὲν ἄλλας τέχνας οὐ μεταποιοῦσιν οἱ χρόνοι· ὧν γὰρ ἡ αὐτὴ χρεία, ἀεὶ τούτων παραπλήσια καὶ τὰ ἔργα· ἰατρικὴν δὲ ἂν ἀρχῇ ἑπομένην τῇ κράσει τῶν σωμάτων, πράγματι οὐχ ἑστῶτι οὐδὲ ὡμολογημένῳ, ἀλλὰ ταῖς κατὰ τὴν δίαιταν τροπαῖς [τροφαῖς uulgo, em. Markland] ἀλλοιουμένῳ καὶ μεταπίπτοντι, ἰάματα καὶ διαίτας αὐτῶν ἐξευρίσκειν ἄλλοτε ἄλλας προσφόρους τῇ παρούσῃ τροφῇ. Anglus ille ingeniosus altero loco emendationem ad finem perduxit, ita altero imperfectam reliquit, cum pro ἂν ἀρχῇ

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010 9 of 20

lectionem χρῆναι proposuit. et eadem sententia et concinnior euadet periodus cum scripserimus ἀνάγκη.

Magis magisque ex Platonis hortis quos ut olim ita nunc frequens coiit multitudo doctorum indoctorumque, in campos desertos et neglectos delati sumus scriptorum Graecorum qui sub Caesarum dominatione floruere, si quidem floruere. iam in siluas procedimus densas et horridas Christianorum quas anxie ne dicam superstitiose euitare solent philologi. procul enim ab aurea illa aetate absumus Stephani Scaligeri Casauboni quorum uastae et ingenti eruditioni uniuersa patebat antiquitas et profana et sacra. inde ab Hadriani temporibus uitam saeculi magis magisque ruere in certamen illud quod inter cultores deorum antiquitus traditorum nouique dei doctores conflagrauerat, pauci norunt; etiam pauciores memoria tenent ne paganos quidem scriptores illorum temporum uel iudicari uel intellegi posse nisi diligenter cum Christianis compositos comparatosque. sed talia nunc non moror: hoc uobis cognitum esse uelim, commilitones, philologis agrum in quo artem criticam exercitent non extare magis feracem minusque occupatum quam libros patrum ecclesiae Graecae. Latinis pecunia et cura debita impenditur: Graeci inde a saeculo XVII tenebris et obliuione obruti iacent. quibus usque ad nostra tempora non multum laboris etiamque minus ingenii deditum est et rara inter editores et emendatores nomina praeclara inueniuntur ut e. g. Bentleii qui Origenis libro de oratione in codice Anglico reperto occasionem sagacitatis demonstrandae nanctus multa et praeclara ingenii specimina protulit, quorum hodie non magis quisquam meminit quam libri ipsius. ex recentioribus, ne de uiuis loquar, nomino Iacobum Bernays et in his facile primum qui excerpta quae feruntur Theodotiana Bunseno, cum Ante-Nicaena ederet, ita emendata praestitit ut ex obscuris oraculis clara et genuina opiniorum gnosticarum testimonia euaderent. tales duces sequamini, magna praemia feretis. larga enim messis creuit desuntque messores legitimi. ipse paucis exemplis alliciendi magis quam docendi gratia uobis demonstrabo quam neglecta et de integro tractanda sint fere omnia quae huc pertinent.

Postquam primi Quadratus et Aristides imperatori Hadriano Christianorum sectam commendauere, IVSTINVS Prisci f. Samaritanus imperatori Pio et filiis libellum dedit ut Christianos iniquis et iniustis persecutionibus liberarent. siquis libellum dederat, ab imperatore petebat ut illi subscriberet: cf. O. Hirschfeld, Untersuch. auf d. Gebiet d. röm. Verwaltungsgesch. p. 207. neque aliter se rem egisse ipse Iustinus testatur cum libellum ita claudit — locum exscribo interpolationibus et librariorum et editorum purgatum — καὶ ὑμᾶς οὖν ἀξιοῦμεν ὑπογράψαντας τὸ ὑμῖν δοκοῦν προθεῖναι τουτὶ τὸ βιβλίδιον ὅπως καὶ τοῖς ἄλλοις τὰ ἡμέτερα γνωσθῇ καὶ δύνωνται τῆς ψευδοδοξίας καὶ ἀγνοίας τῶν καλῶν ἀπαλλαγῆναι, οἳ παρὰ τὴν ἑαυτῶν αἰτίαν ὑπεύθυνοι ταῖς τιμωρίαις γίνονται [εἰς τὸ γνωσθῆναι τοῖς ἀνθρώποις ταῦτα] διὰ τὸ ἐν τῇ φύσει τῇ τῶν ἀνθρώπων εἶναι τὸ γνωριστικὸν καλοῦ καὶ αἰσχροῦ καὶ διὰ τὸ ἡμῶν, οὓς οὐκ ἐπίστανται, τοιαῦτα ὁποῖα λέγουσιν αἰσχρὰ καταψηφιζομένους [καὶ διὰ τὸ] χαίρειν τοιαῦτα πράξασι θεοῖς καὶ ἔτι νῦν ἀπαιτοῦσι παρὰ ἀνθρώπων τὰ ὅμοια, ἐκ τοῦ καὶ ἡμῖν ὡς τοιαῦτα πράττουσι θάνατον ἢ δεσμὰ ἢ ἄλλο τι τοιοῦτον προστιμᾶν ἑαυτοὺς κατακρίνοντας *) ὡς μὴ δέεσθαι ἄλλων δικαστῶν [2, 14 p. 238]. haec est legitima et debita libelli clausula; titulus extat initio illius apologiae quae prior hodie numeratur. quod initium sine illa subscriptionis petitione pendet, neque ut subscriberet, Iustinus ab imperatore petere peterat nisi totum libellum imperatori destinatum esse debito modo significauerat. ceterum argumentum quoque idem est tituli et clausulae. hic omnia quantum in se ipso esset se fecisse dicit ut propositum assequeretur [2, 15 p. 242]: καὶ παυσόμεθα

*) κατακρίνειν cod. duplex participium similiter appositum legitur 1, 11 p. 34, ubi sine dubio γνώσκοντας legendum est.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

λοιπόν, ὅσον ἐφ' ἡμῖν ἦν πράξαντες καὶ προσεπευξάμενοι τῆς ἀληθείας καταξιωθῆναι τοὺς πάντῃ πάντας ἀνθρώπους, denique Caesares admonet ut Pii Philosophique nomine dignos se praestarent, neque modo de Christianis, sed de se ipsis iusta decernerent: εἴη οὖν καὶ ὑμᾶς ἀξίως εὐσεβείας καὶ φιλοσοφίας τὰ δίκαια ὑπὲρ ἑαυτῶν κρῖναι. eadem in initio quasi summa libelli praemittuntur [1, 1 p. 4] ὑπὲρ τῶν ἐκ παντὸς γένους ἀνθρώπων ἀδίκως μισουμένων καὶ ἐπηρεαζομένων Ἰουστῖνος . . εἷς αὐτῶν τὴν προσφώνησιν καὶ ἔντευξιν πεποίημαι. τοὺς κατὰ ἀλήθειαν εὐσεβεῖς καὶ φιλοσόφους μόνον τἀληθὲς τιμᾶν καὶ στέργειν ὁ λόγος ὑπαγορεύει . . . ὑμεῖς μὲν οὖν ὅτι λέγεσθε εὐσεβεῖς καὶ φιλόσοφοι καὶ φύλακες δικαιοσύνης καὶ ἐρασταὶ παιδείας, ἀκούετε πανταχοῦ· εἰ δὲ καὶ ὑπάρχετε, δειχθήσεται. οὐ γὰρ κολακεύοντες ὑμᾶς διὰ τῶνδε τῶν γραμμάτων . . . ἀλλ' ἀπαιτήσοντες κατὰ τὸν ἀκριβῆ καὶ ἐξεταστικὸν λόγον τὴν κρίσιν ποιήσασθαι προσεληλύθαμεν μὴ . . . . ἀλόγῳ ὁρμῇ καὶ χρονίᾳ προκατεσχημένοις φήμῃ κακῇ τὴν καθ' ἑαυτῶν ψῆφον φέροντας.

Quae exposui, eo magis animaduerti oportet quo prior apologia fine, altera initio caret. illud aegre fertur, fertur tamen aliquo modo seueris interpretandi legibus postpositis: hoc nullo modo posse excusari intellegeret quicunque ultimi editoris rationibus sophisticis fidem denegauerit, quoniam ab his uerbis καὶ τὰ χθὲς δὲ καὶ πρώην ἐν τῇ πόλει ὑμῶν γενόμενα ne Iustini quidem stilus quamuis rudis et inelegans incipere potuit. uel ea quae secuntur ἐξηνάγκασέ με . . . . τὴν τῶνδε τῶν λόγων σύνταξιν ποιήσασθαι nisi in media demonstratione locum non habent. aut igitur per librariorum incuriam prooemium intercidit, neque modo hoc, si accurate rem agimus, sed etiam clausula maioris apologiae, aut ne desideratur quidem et quae duae Iustini apologiae feruntur, unus et continuus est libellus. tertia enim ratio non relinquitur: pessime de Grabii optimi uiri gloria illi meriti sunt qui iterum iterumque illius futtile commentum repetiuerunt minorem apologiam pro appendice maioris esse habendam. proprium enim est appendicis libro certis et indubitatis finibus circumscripto per uim quandam et necessitatem adnecti et ita adnecti ut excusetur cur quae antea scripta fuerunt, non suffecerint nouaque addantur. iam maior apologia termino quo distinguatur caret, legitima libelli clausula loco legitur alieno in fine appendicis, de ipso corollario apud Iustinum altissimum silentium.

Iam de altera illa ratione quae ad lacunas et eas quidem sat magnas confugit, actum est, postquam titulum maioris clausulamque minoris apologiae arte in se cohaerere exposuimus. nihil igitur restat nisi ut in alteram sententiam eamus et duas quae uulgo feruntur apologias in unam eandemque coniungamus. quod unice uerum et rectum esse ipse scriptor comprobat quippe qui iisdem uerbis (ὡς προέφημεν et similibus) in minore apologia lectores ad maiorem remiserit atque in maioris parte ulteriore ad locos qui in ipsa maiore praecedunt. conferatis e. g. 2, 6 p. 214. 4, 4 p. 208 cum notis interpretum: his enim locis de maiore apologia scriptorem loqui omnes concedunt. in ipsa maiore apologia tales formulae leguntur 1, 12 p. 36. 21 p. 68. 22 p. 70. 45 p. 128. 54 p. 146. 148. 150. 55 p. 150. 56 p. 154. 60 p. 162. 63 p. 172. 174. 67 p. 186, neque negare ausim locum aliquem me fugisse. mireris tam saepe a Iustino quae exposuerit in memoriam reuocari: neque tamen hoc non conuenit orationi Samaritani illius et Christiani qui Graecorum elegantiam et concinnitatem et despicere uolebat neque imitari poterat.

Apologias inter se cohaerere constat: iam uidendum est num clausula maioris et initium minoris coartari possint. Iustinus postquam ueritatem fidei Christianae docuit uitamque et mores Christianorum enarrauit, ad libelli propositum reuersus denuo a Caesaribus petit ut Christiani eodem modo quo ceteri rei ex eis quae meruerunt iudicarentur, non damnarentur ex solo nomine. neque temere uel insolenter se hoc petere. primum Hadriani epistula tumultuarias Christianorum uexationes prohibitas esse. deinde praefectos et praesides ita iniuste in Christianos agere coepisse ut de fratribus magis magisque oppressis non posset Caesaribus libellum non dare quamuis metus esset ne illi propter auctoritatem quam magi-

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010 11 of 20

stratibus istis tribuere solerent, libellum ne legere quidem uellent. haec enim alterius apologiae initio leguntur [2, 1 p. 194] καὶ τὰ χθὲς δὲ καὶ πρώην ἐν τῇ πόλει ὑμῶν γενόμενα ἐπὶ Οὐρβίκου [ὦ Ῥωμαῖοι] καὶ τὰ πανταχοῦ ὁμοίως ὑπὸ τῶν ἡγουμένων ἀλόγως πραττόμενα ἐξηνάγκασέ με ὑπὲρ ἡμῶν ὁμοιπαθῶν ὄντων καὶ ἀδελφῶν, κἂν ἀγνοῆτε καὶ μὴ θέλητε διὰ τὴν δόξαν τῶν νομιζομένων ἀξιωμάτων, τὴν τῶνδε τῶν λόγων σύνταξιν ποιήσασθαι. deleui ὦ Ῥωμαῖοι quia in libello Caesaribus dato uniuersos Romanos alloqui delirantis erat. uno loco et singulari quadam occasione oblata non Romanos alloquitur, sed, quod unice aptum erat, Caesaribus adnectit senatum populumque Romanum 1, 56 p. 154. tum offendunt uerba κἂν — θέλητε. quid nesciunt neque uolunt imperatores? neque omnino ignoratur et nolitur, sed aut ignoratur aut nolitur. denique huic loco non aptum erat κἂν ἀγνοῆτε, sed ἐπειδὴ ἀγνοεῖτε. quod Iustinus scripsisse mihi uidetur, id supra uerbis latinis significavi: ex litteris κἂν ἀγνοῆτε καὶ extrico κἂν ⟨ἀν⟩αγινώσκεσθαι.

Videtisne quam plane et sine hiatu argumentatio procedat? neque in reliqua parte tota quicquam inuenitur quod a libelli proposito alienum sit. hoc longiore disputatione non eget; pauca commemorabo quae corruptelis et lacunis obscurata sunt.

Post uerba modo exscripta leguntur [p. 196]: πανταχοῦ γὰρ ὃς ἂν σωφρονίζηται ὑπὸ πατρὸς ἢ γείτονος ἢ τέκνου ἢ φίλου ἢ ἀδελφοῦ ἢ γυναικὸς κατ' ἔλλειψιν [χωρὶς] τῶν πεισθέντων τοὺς ἀδίκους καὶ ἀκολάστους ἐν αἰωνίῳ πυρὶ κολασθήσεσθαι, τοὺς δ' ἐναρέτους καὶ ὁμοίως Χριστῷ βιώσαντας ἐν ἀπαθείᾳ συγγενήσεσθαι τῷ θεῷ, λέγομεν δὲ τῶν γενομένων Χριστιανῶν, διὰ τὸ δυσμετάθετον καὶ φιλήδονον καὶ δυσκίνητον πρὸς τὸ καλὸν ὁρμῆσαι ** lacuna in codice notata est; inepta adnotat Maranus: ‚non quod quicquam desit ad sententiae iuncturam, sed quod deesse aliquid illis uideretur'. praeparatur historiola illa de muliere Christiana, qua optime illustrantur uerba Tertulliani [apolog. 3]: caecitate odii in suffragium impingunt: quae mulier! quam lasciua quam festiua! quis iuuenis! quam lasciuus quam amasius! facti sunt Christiani! maritus ille cum ab uxore Christiana ad exemplar seueritatis Christianae castigaretur, iratus primo uxorem tum magistrum eius Christianum in ius uocauit. eadem, sed non ad certum quendam hominem relata inerunt sententiae exscriptae, si κατ' ἔλλειψιν interpretatus eris ‚quod inferiores, quod peiores essent', eiecerisque glossema χωρίς. id enim probaturus est Iustinus propter friuolas et pessimas causas Christianos accusari solere et id eo iniustius esse quod iudices Christianos uniuersos sine discrimine damnarent, instigati scilicet a malis daemonibus. talia enim secuntur lacunam: καὶ οἱ φαῦλοι δαίμονες ἐχθραίνοντες ἡμῖν καὶ τοὺς τοιούτους δικαστὰς ἔχοντες ὑποχειρίους καὶ λατρεύοντας ὡς οὖν ἄρχοντας δαιμονιῶντας φονεύειν ἡμᾶς παρασκευάζουσιν. quomodo initium sententiae Iustinus conformauerit, propter lacunam non constat, eadem de causa τοὺς τοιούτους accurate explicare non licet. ultimis optime ex Iustini sententia damnatores Christianorum delirare dicuntur; quae praecedunt, obscurissima sunt. tamen in litteris οὖν ἄρχοντας agnouisse mihi uideor ἐνεργοῦντες: cf. 1, 26 p. 78 Σίμωνα .. ὃς ... διὰ τῆς τῶν ἐνεργούντων δαιμόνων τέχνης δυνάμεις ποιήσας μαγικάς ... p. 80 Μένανδρον ... ἐνεργηθέντα καὶ αὐτὸν ὑπὸ τῶν δαιμόνων. 2, 7 p. 218 οὐκ ἂν οὐδὲ ὑμῖν ταῦτα ἔτι ποιεῖν καὶ ἐνεργεῖσθαι ὑπὸ τῶν φαύλων δαιμόνων δυνατὸν ἦν ... ἡμεῖς ... φαμὲν ... κατὰ τὴν τῶν φαύλων δαιμόνων ἐνέργειαν τοὺς σπουδαίους, οἷον Σωκράτην καὶ τοὺς ὁμοίους, διώκεσθαι καὶ ἐν δεσμοῖς εἶναι. num ὡς ditto. graphia sit syllabae quae praecedit an reliquiae uerbi qualiscunque, non discerno: certo non mutandum est in καί.

Multus est apologeta in exponendo cur deus ipse Christianos a morte iniusta non defendat. in fine huius disputationis fabulam Xenophonteam de Hercule in triuio adducit. initium quidem ex ipso Xenophonte sumpsit ita ut in uerbis [2, 11 p. 230] καὶ τὴν μὲν Κακίαν ἁβρᾷ ἐσθῆτι καὶ ἐρωτοπεποιημένῳ καὶ ἀνθοῦντι ἐκ τῶν τοιούτων προσώπῳ sine ulla dubitatione χρώματι πεποικιλμένῳ restituatur, magna probabilitate post Κακίαν inseratur κεκαλλω-

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

πισμένην cl. Xen. mem. 2, 1, 22 κεκαλλωπισμένην . . . τὸ μὲν χρῶμα ὥστε λευκοτέραν τε καὶ ἐρυθροτέραν τοῦ ὄντος δοκεῖν φαίνεσθαι . . . ἐσθῆτα δὲ ἐξ ἧς ἂν μάλιστα ἡ ὥρα διαλάμποι. deinde a Xenophonte discedit et sub forma sententiarum Platonicarum de futura Christianorum beatitudine loquitur ut non ex specie huius mundi sed ex ueritate caeli uitam Christianam iudicandam esse doceat. clausula disputationis periit per lacunam quae post uerba οἱ δὲ νενοηκότες τὰ προσόντα τῷ ὄντι καλὰ καὶ ἄφθαρτα [ἄφθαρτοι cod.] τῇ ἀρετῇ statuenda est. nam quae secuntur ὃ καὶ περὶ Χριστιανῶν καὶ τῶν ἀπὸ τοῦ ἄθλου τῶν ἀνθρώπων καὶ τῶν τοιαῦτα πραξάντων ὁποῖα ἔφασαν οἱ ποιηταὶ περὶ τῶν νομιζομένων θεῶν ὑπολαβεῖν δεῖ πάντα νουνεχῆ, ἐκ τοῦ καὶ τοῦ ψευκτοῦ καταφρονεῖν ἡμᾶς θανάτου λογισμὸν ἕλκοντα, ea ad crimina uulgo Christianis iniecta Thyesteas dapes coitusque Oedipodeos pertinere ex ultimis uerbis elucet: cf. 12 p. 232 τίς γὰρ φιλήδονος ἢ ἀκρατὴς καὶ ἀνθρωπίνων σαρκῶν βορὰν ἀγαθὸν ἡγούμενος δύναιτο ἂν θάνατον ἀσπάζεσθαι uel p. 234 Διὸς δὲ καὶ τῶν ἄλλων θεῶν μιμηταὶ γενόμενοι ἐν τῷ ἀνδροβατεῖν καὶ γυναιξὶν ἀδεῶς μίγνυσθαι, Ἐπικούρου μὲν καὶ τὰ τῶν ποιητῶν συγγράμματα ⟨ὡς⟩ ἀπολογίαν ⟨ἀνα⟩φέροντες. exordium sententiae nisi igni et ferro sanari non potest; in mentem uenere ὃ καὶ περὶ Χριστιανῶν [καὶ] τῶν ὑπὸ τοῦ ὄχλου καταμαρτυρηθέντων ὡς [τῶν] τοιαῦτα πραξάντων. quomodo uero scriptor a Xenophontea illa fabula ad criminum istorum refutationem transgressus sit, nescimus.

Transeo ad titulum libelli. cuius forma tradita est haec: Αὐτοκράτορι Τίτῳ Αἰλίῳ Ἀδριανῷ Ἀντωνίνῳ Εὐσεβεῖ Σεβαστῷ Καίσαρι [Καίσαρι Σεβαστῷ Euseb. HE 4, 12] καὶ Οὐηρισσίμῳ υἱῷ Φιλοσόφῳ καὶ Λουκίῳ Φιλοσόφῳ [φιλοσόφου Eus. codd. Marc. 338 Paris. 1431. 1433. 1436 φιλοσόφῳ codd. Paris. 1430 Vat. 399] Καίσαρος φύσει υἱῷ καὶ Εὐσεβοῦς εἰσποιητῷ Ἐραστῇ παιδείας Ἱερᾷ τε Συγκλήτῳ καὶ Δήμῳ παντὶ Ῥωμαίων ὑπὲρ τῶν ἐκ παντὸς γένους ἀνθρώπων ἀδίκως μισουμένων καὶ ἐπηρεαζομένων Ἰουστῖνος Πρίσκου τοῦ Βακχείου τῶν ἀπὸ Φλαουίας Νέας Πόλεως τῆς Συρίας Παλαιστίνης εἷς αὐτῶν [ὧν add. Eus. cod. Paris. 1430 Vat. 399] τὴν προσφώνησιν καὶ ἔντευξιν πεποίημαι [ποιήσομαι Eus. cod. Paris. 1430 Vat. 399 ποιοῦμαι cod. Paris. 1431 πεποίημαι cod. Marc. 338 Paris. 1433. 1436]. tres Caesarum appellationes Εὐσεβής Φιλόσοφος Ἐραστὴς παιδείας Iustinus adscripsit neque otiose adscripsit: cf. 1, 2 p. 6 τοὺς κατὰ ἀλήθειαν εὐσεβεῖς καὶ φιλοσόφους . . . ὑμεῖς μὲν οὖν ὅτι λέγεσθε εὐσεβεῖς καὶ φιλόσοφοι καὶ φύλακες δικαιοσύνης καὶ ἐρασταὶ παιδείας, ἀκούετε πανταχοῦ. 2, 15 p. 242 εἴη οὖν καὶ ὑμᾶς ἀξίως εὐσεβείας καὶ φιλοσοφίας τὰ δίκαια ὑπὲρ ἑαυτῶν κρῖναι. hae igitur appellationes insigni loco ponendae erant atque eo facilius ita poni poterant quoniam ex usu sollemni Romanorum ultimus locus eis destinabatur. inde uocabula Σεβαστῷ Καίσαρι siue Καίσαρι Σεβαστῷ ita ut leguntur ferri non posse apparet. id uel eo confirmatur quod Καίσαρι post Αὐτοκράτορι, Σεβαστῷ ante Εὐσεβεῖ ex usu titulorum collocanda erant. deinde ex appellationum natura lectionem Λουκίῳ Φιλοσόφῳ falsam esse sequitur. si enim appellatio philosophi L. Vero tribuebatur, coniungenda erat cum altera Ἐραστὴς παιδείας et eodem loco ponenda. sed ne poterat quidem tribui adulescenti pubertatem uix ingresso: optime autem ille ut iuuenis egregiae spei appellatur Ἐραστὴς παιδείας. neque aliam ob rationem late et fuse filius dicitur Caesaris Philosophi naturalis, adoptiuus imperatoris Pii, quae prorsus otiosa uidentur, nisi parentes laudari solere, cum filiis ipsi laudes nondum meruerint, reputaueritis. haec omnia ita arte et concinne inter se cohaerent ut dubitari non liceat quin Iustinus Λουκίῳ Φιλοσόφου Καίσαρος φύσει υἱῷ καὶ Εὐσεβοῦς εἰσποιητῷ Ἐραστῇ παιδείας scripserit. neque minus constat eum errasse: L. Verus non a Marco Aurelio Antonino Caesare genitus est, sed a L. Aurelio Vero Caesare Hadriani per adoptationem filio adoptatusque est et a Pio et a Marco [Spartian. Ael. Ver. 2 M. Aurel. 5]. sed hic error, ut dixi, ipsius Iustini est, non librariorum. at Marcum Iustinus non appellat Caesarem. si codicem Eusebiumque sequimur, non appellat: appellare debuit si uerborum Φιλοσόφου Καίσαρος rationem habemus. aliam quoque ob causam uerba Οὐηρισσίμῳ υἱῷ Φιλοσόφῳ non sufficiunt: addendum erat Marcum esse filium Augusti. iam uerba ista Καίσαρι Σεβαστῷ uel

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

Σεβαστῷ Καίσαρι Pii nominibus falso addita esse reminiscamur: praesto erit coniectura καὶ Οὐηριssίμῳ ⟨Καίσαρι Σεβαστοῦ⟩ υἱῷ Φιλοσόφῳ.*)

Ita igitur, ut omnia comprehendam, Caesarum nomina scripsisse mihi uidetur Iustinus Αὐτοκράτορι Τίτῳ Αἰλίῳ Ἀδριανῷ Ἀντωνίνῳ Εὐσεβεῖ καὶ Οὐηριssίμῳ Καίσαρι Σεβαστοῦ υἱῷ Φιλοσόφῳ καὶ Λουκίῳ Φιλοσόφου Καίσαρος φύσει υἱῷ καὶ Εὐσεβοῦς εἰσποιητῷ Ἐραστῇ παιδείας. ceterum haud minus corrupta est repetitio huius tituli qua Caesarum nomina proclamantem facit scriptor Lucium Christianum [2, 2 p. 202]: οὐ πρέποντα Εὐσεβεῖ Αὐτοκράτορι οὐδὲ Φιλοσόφου [φιλοσόφῳ Eus.] Καίσαρος παιδὶ οὐδὲ τῇ Ἱερᾷ Συγκλήτῳ κρίνεις. ipsius Caesaris Philosophi mentione opus est. de certa restitutione desperandum esse uidetur: ipsi iudicetis num haec probabilia sint: Εὐσεβεῖ Αὐτοκράτορι οὐδὲ ⟨Φιλοσόφῳ Καίσαρι οὐδὲ⟩ Φιλοσόφου Καίσαρος παιδί. denique adnoto senatum populumque Romanum a Iustino additum esse propter causam 1, 56 p. 154 narratam: reliquo toto libello ὑμεῖς sunt Caesares.

Restat ut eruatur quis et qua de causa unum Iustini libellum in duos diremerit. incipiendum est ab Eusebio. qui diuerso modo Iustini libellum adfert. HE 2, 13, 2 haec dicit Ἰουστῖνος . . . ἐν τῇ προτέρᾳ πρὸς Ἀντωνῖνον ὑπὲρ τοῦ καθ' ἡμᾶς δόγματος ἀπολογίᾳ . . ὧδέ φησιν: sequitur locus de Simone ex apol. 1, 26 p. 78 desumptus. paulo cautius loquitur 4, 8, 3 ἐν τῇ πρὸς Ἀντωνῖνον ἀπολογίᾳ de locis apol. 1, 29 p. 90. 31 p. 94. at pergit ἐν ταὐτῷ δὲ . . . γράφει cum non maiorem sed minorem apologiam [2, 12 p. 232] adferat, postea ad maiorem [1, 68 p. 188] redit dicens ἔτι δ' ὁ αὐτὸς ἱστορεῖ. simili confusione 4, 17, 1 alteram apologiam priorem dicit ubi locum apol. 2, 2 p. 196 sq. adfert: ἐν τῇ προτέρᾳ αὐτοῦ ἀπολογίᾳ. denique utramque apologiam disertis uerbis ita describit: HE 4, 11, 11 Ἰουστῖνος . . . λόγους ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας πίστεως ἀπολογίαν ἔχοντας βασιλεῖ Ἀντωνίνῳ τῷ δὴ ἐπικληθέντι Εὐσεβεῖ καὶ τῇ Ῥωμαίων συγκλήτῳ βουλῇ προσφωνεῖ et 16, 1 κατὰ τούτους [M. Aurelium et L. Verum cf. 14, 10] . . . Ἰουστῖνος δεύτερον ὑπὲρ τῶν καθ' ἡμᾶς δογμάτων βιβλίον ἀναδοὺς τοῖς δεδηλωμένοις ἄρχουσι θείῳ κατακοσμεῖται μαρτυρίῳ φιλοσόφου Κρήσκεντος . . . τὴν ἐπιβουλὴν αὐτῷ καταρτύσαντος ἐπειδὴ [ἐπείπερ codd. Paris. 1430 Vat. 399 ἐπεὶ Par. 1431] πλεονάκις [πολλάκις codd. Marc. 338 Par. 1433] ἐν διαλόγοις ἀκροατῶν παρόντων [ἐπ' ἀκροατῶν codd. Par. 1430 Vat. 399] εὐθύνας αὐτὸν τὰ νικητήρια τελευτῶν ἧς [ὑπὲρ ἧς codd. Par. 1430 Vat. 399] ἐπρέσβευεν ἀληθείας διὰ τοῦ μαρτυρίου τοῦ κατ' αὐτὸν ἀνεδήσατο. τοῦτο δὲ καὶ αὐτὸς ὁ ταῖς ἀληθείαις φιλοσοφώτατος ἐν τῇ δεδηλωμένῃ ἀπολογίᾳ σαφῶς οὕτως ὥσπερ οὖν καὶ ἔμελλεν ὅσον οὔπω περὶ αὐτὸν συμβήσεσθαι προλαβὼν ἀποσημαίνει κτλ. neque ab his diuersa in catalogo librorum Iustini [4, 18, 2] refert.

Huius nodi filos extricare omnes uereor ne temerarii sit: Eusebium certum est neque in dirimendo Iustini libello sibi constitisse et alterius apologiae tempus fixisse ex illo uaticinio martyrii quod illic inuenisse sibi uidebatur. neque primus Eusebius Iustini uerba falso explicauit sed quem huius explicationis auctorem fert, Tatianus. res ita se habere uidetur. Iustinum cum VI aliis martyrio coronatum esse, cum Iunius Rusticus praefecturam urbis obtineret, a. 163—167 [cf. Borghesi oeuvr. t. 8 p. 549], ex actis sinceris non minus constat quam Crescentem philosophum mortis Iustini nullo modo accusari posse. ne id quidem ipse Iustinus dixit insidias sibi a Cynico structas esse: ipsis uerbis nihil aliud inest nisi cum timere ne et ipse in iudicium uocaretur atque id fortasse ab illo aemulo quem disputando uicisset [2, 3 p. 202]: κἀγὼ οὖν προσδοκῶ ὑπό τινος τῶν ὠνομασμένων ἐπιβουλευθῆναι καὶ ξύλῳ ἐμπαγῆναι ἢ κἂν ὑπὸ Κρήσκεντος. hac cauillatione maligna sane, sed perspicua innisus Tatianus, cui siue ut Syro siue ut rhetori innata et insita erat consuetudo mentiendi, Crescentem Iustino insidiatum esse finxit [p. 21, 3 editionis meae]: Κρήσκης . . . θανάτου ὁ καταφρονεῖν συμβουλεύων οὕτως αὐτὸς ἐδεδίει τὸν θάνατον ὡς καὶ Ἰουστῖνον καθάπερ καὶ ἐμὲ οὗς [ita P,

*) Hort, on the date of Iustin Martyr [Journal of classical and sacred philology 3 p. 162 f.] legendum censuit καὶ Καίσαρι Οὐηριssίμῳ Σεβαστοῦ υἱῷ. ita Caesaris appellatio falso loco ponitur.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

ὡς M οἷον V] κακῷ τῷ θανάτῳ περιβαλεῖν πραγματεύσασθαι. ingrate accidit ut uerba insanabiliter corrupta sint. neque medelam adfert Eusebius qui pro καὶ ἐμὲ οὓς praebet μεγάλῳ [4, 16, 8]. minime probandi sunt ii qui pro οὓς reponi uolunt ὡς ut librarius codicis Mutinensis Eusebiumque dolo malo καὶ ἐμέ in μεγάλῳ commutasse clamant. Eusebius, si interpolare uoluisset, paulo callidius opinor rem instituisset: cur non totum κῶλον inde a καθάπερ omisit, sed hoc ipsum uocabulum pro aperto sceleris uestigio reliquit? praeterea pessime dicta sunt ὡς κακῷ sine adiectiuo. nihil restat nisi ut statuatur locum antiquitus graui corruptela laborasse; μεγάλῳ ab Eusebio siue potius ab antiquiore quodam ex coniectura esse repositum sensu non ita malo, sed sine probabilitate. utut est, nulla fides debetur Tatiano cum Crescentem increpat et siqua debetur, non tanta ut Crescentem damnationis Iustini auctorem fuisse censeamus. hoc enim ne Tatianus quidem dixit neque dicere potuit, quoniam orationem suam aut ante aut non multo post Iustini mortem composuit ita ut nimis impudenter mentiri ei non liceret. tamen eius exemplo Eusebius pellectus est ut Iustini cum Crescente rixam et mortem arte coniungeret. caute rem agit in chronico. anno Abrahae 2156 [= 142 p. C.] adscripsit ‚Iustinus nostri dogmatis philosophus librum supplicationis propriae ob mandatum tradidit'. sine dubio [cf. HE 4, 8, 3. 4] ad initium regni Antonini adscendit propter Antinoi Barchochebaeque mentionem. deinde Crescentem sub anno Abrahae 2168 [= 154 p. C.] commemorat et ita commemorat ut non Iustini, sed Tatiani uerba referat: ‚Crescens Cynicus philosophus agnoscebatur. is Iustino nostri dogmatis philosopho mortem martyrii machinationibus suis contraxit, quia apud ipsum helluo et philosophiae expers apparebat'. de altera apologia ne uerbum quidem. cum uero historiam ecclesiasticam scriberet, et Iustinum sub Marco Aurelio mortuum esse nescio quo modo cognouit et illum in apologia de sua morte uera uaticinatum esse sibi persuasit. atqui Pio et Marco unam eandemque apologiam dedicasse Iustinus dici non potuit: duae statutae sunt altera sub Pio, altera sub Marco scripta. sed, ut fieri solet, non accurate tenuit quod ipse excogitauerat, sed uarie titubans modo priorem apologiam modo alteram modo unam eandemque adfert. denique suo iure post Hadriani epistulam interuallum statuit: haec enim aliquam clausulam efficit et quae secuntur usque ad Crescentis mentionem, quam ineptissime Maranus ex loco tradito sustulit, artissime inter se cohaerent.

Infelix Eusebii inuentum codices Iustini corrupit. certe is qui unus seruatus est, Parisinus 450, ex Eusebio pendet. nulla enim alia causa excogitari potest cur illic minor apologia ante maiorem collocata sit nisi quod uno loco [4, 17, 1] Eusebius minorem τὴν προτέραν dixit. accedit alterum. Eusebius ipse disertis uerbis testatur se in suo Iustini exemplari Latinam Hadriani epistulam legisse. huius exemplaris unus testis nunc est Rufinus Eusebii interpres Latinus: in codice Parisino legitur uersio Graeca atque ea quam Eusebius ipse dixit se confecisse ut historiae insereret [4, 8, 8 cf. 7]: τούτοις ὁ μὲν δηλωθεὶς ἀνὴρ αὐτὴν παρατέθειται τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀντιγραφήν, ἡμεῖς δ' εἰς τὸ Ἑλληνικὸν κατὰ δύναμιν αὐτὴν μετειλήφαμεν. talia opinor de conexu inter Eusebium codicesque Iustini intercedente uetant dubitare. ceterum in Eusebii Iustinique codicibus eadem uitia propagata sunt: οὐ δοκεῖ οὖν μοι τὸ πρᾶγμα ἀζήτητον καταλιπεῖν ἵνα μήτε οἱ ἄνθρωποι ταράττωνται καὶ τοῖς συκοφάνταις χορηγία κακουργίας παρασχεθῇ. ex Latinis ne et innoxii perturbentur et calumniatoribus latrocinandi tribuatur occasio facile restituitur οἱ ἀναίτιοι. apparet igitur ex archetypo nostrorum codicum Eusebianorum epistulae uersionem in archetypum codicis Parisini 450 peruenisse.

Adnecto corollarium emendationum. 1, 3 p. 10 ἀξιοῦμεν τὰ κατηγορούμενα αὐτῶν ἐξετάζεσθαι καὶ ἐὰν οὕτως ἔχοντα ἀποδεικνύωνται, κολάζεσθαι ὡς πρέπον ἐστίν [μᾶλλον δὲ κολάζειν], εἰ δὲ μηδὲν ἔχοι τις ἐλέγχειν, οὐχ ὑπαγορεύει ὁ ἀληθὴς λόγος διὰ φήμην πονηρὰν ἀναιτίους ἀνθρώπους ἀδικεῖν, μᾶλλον δὲ ἑαυτοὺς ⟨κολάζειν⟩, οἳ οὐ κρίσει ἀλλὰ πάθει τὰ προστάγματα [πράγματα cod.] ἐπάγειν

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

ἀξιοῦτε. simili transpositione sanatur locus 1, 44 p. 124 προγνώστου τοῦ θεοῦ ὄντος τῶν μελλόντων ὑπὸ πάντων ἀνθρώπων πραχθήσεσθαι καὶ δόγματος ὄντος παρ' αὐτῷ [αὐτῶν cod. em. Maranus] κατ' ἀξίαν τῶν πράξεων ἕκαστον ἀμείψασθαι [ἀμείψεσθαι μέλλοντα cod.] τῶν ἀνθρώπων, [καὶ] τὰ παρ' αὐτοῦ κατ' ἀξίαν τῶν πραττομένων ⟨μέλλοντα⟩ ἀπαντήσεσθαι διὰ τοῦ προφητικοῦ πνεύματος προλέγει. 5 p. 20 ᾧ πεισθέντες ἡμεῖς τοὺς ταῦτα πράξαντας [δαίμονας] οὐ μόνον μὴ θεοὺς [ὀρθοὺς cod.] εἶναί φαμεν, ἀλλὰ κακοὺς καὶ ἀνοσίους δαίμονας. quominus certa et indubitata Thirlbyi coniectura euaderet, obstabat molesta uerbi δαίμονας repetitio. multa istiusmodi apud Iustinum inueniuntur. ita facile emendatur 1, 22 p. 68 υἱὸς δὲ θεοῦ ὁ Ἰησοῦς [λεγόμενος], εἰ καὶ κοινῶς μόνον ἄνθρωπος ⟨γενόμενος⟩, διὰ σοφίαν ἄξιος [υἱὸς θεοῦ] λέγεσθαι uel 26 p. 82 quem locum etiam Eusebius corruptum legit Μαρκίωνα δέ τινα Ποντικόν, ὃς καὶ νῦν ἔτι ἐστὶ διδάσκων τοὺς πειθομένους ἄλλον τινα νομίζειν μείζονα τοῦ δημιουργοῦ θεόν, [ὃς] κατὰ πᾶν γένος ἀνθρώπων διὰ τῆς τῶν δαιμόνων συλλήψεως πολλοὺς πεποιηκέναι [πεποίηκεν cod. πέπεικεν Eus.] βλασφημίας [βλάσφημα Eus.] λέγειν καὶ ἀρνεῖσθαι τὸν ποιητὴν τοῦδε τοῦ παντὸς θεόν [pro θεόν habet πατέρα εἶναι τοῦ Χριστοῦ Eus.], ἄλλον δέ τινα ὡς ὄντα μείζονα [τὰ μείζονα add. cod. Par. 450, om. Eus.] παρὰ τοῦτον ὁμολογεῖν [πεποιηκέναι]. accusatiuus cum infinitiuo pendet ex uerbo quod praecedit οἴδαμεν. haud aliter ineptis additamentis e. g. turbantur loci hi: 1, 28 p. 88 μηδὲν εἶναι ἀρετὴν μηδὲ κακίαν, δόξῃ δὲ μόνον τοῖς ἀνθρώποις ἢ ἀγαθὰ ἢ κακὰ [ταῦτα] ἡγεῖσθαι cf. 43 p. 120; 33 p. 102 τὸ δὲ Ἰησοῦς ὄνομα τῇ Ἑβραΐδι φωνῇ σωτὴρ [τῇ Ἑλληνίδι διαλέκτῳ] δηλοῖ cf. 65 p. 180; 2, 7 p. 218 γενητοῦ . . . παντὸς ἥδε ἡ φύσις κακίας καὶ ἀρετῆς δεκτικὸν εἶναι· οὐ γὰρ ἂν ἦν ἐπαινετὸν οὐδὲν αὐτῶν, εἰ οὐκ ἦν ἐπ' ἀμφότερα τρέπεσθαι [καὶ δύναμιν εἶχε]; 8 p. 220 καὶ τοὺς ἀπὸ τῶν Στωϊκῶν δὲ δογμάτων . . . μεμισῆσθαι καὶ πεφονεῦσθαι οἴδαμεν, Ἡράκλειτον μέν, ὡς προέφημεν, καὶ Μουσώνιον δὲ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς καὶ ἄλλους [οἴδαμεν]. plurima restant grauissime corrupta, imprimis lacunis deuastata, raro paucis litteris mutatis medela paratur. 1, 21 p. 66 τί γὰρ λέγομεν τὴν Ἀριάδνην καὶ τοὺς ὁμοίως αὐτῇ κατηστερίσθαι λεγομένους; καίτοιγε [καὶ τί γάρ cod. cf. 2, 11 p. 228] τοὺς ἀποθνήσκοντας παρ' ὑμῖν αὐτοκράτορας ἀεὶ ἀπαθανατίζεσθαι ἀξιοῦτε [ἀξιοῦντες cod.] καὶ ὁμνύντα τινὰ προάγετε ἑωρακέναι ἐκ τῆς πυρᾶς ἀνερχόμενον εἰς τὸν οὐρανὸν τὸν κατακαέντα Καίσαρα. 1, 24 p. 74 ὅπερ μόνον ἐγκαλεῖν ἡμῖν ἔχετε ὅτι μὴ τοὺς αὐτοὺς ὑμῖν σέβομεν θεοὺς μηδὲ τοῖς ἀποθανοῦσι χοὰς καὶ κνίσας καὶ ἐν γραφαῖς στεφάνους καὶ θυσίας φέρομεν. non de mortuis hominibus Iustinus loquitur sed deos paganorum mortuos dicit ut 1, 9 p. 28, Iudaeos Alexandrinos secutus qui rationes pragmaticas a Graecis fabulatoribus et sophistis friuole excogitatas superstitionibus gentilium euertendis adhibebant. inepte igitur mutant ἐν τάφοις uel ἐν ταφαῖς ut praeteream hoc in medio enuntiato locum non habere. scribo ἀπαρχὰς καί. 1, 25 p. 76 de Ioue leguntur ὃν οὔτε . . . πειθόμεθα οὐδὲ λυθῆναι βοηθείας τυχόντα διὰ Θέτιδος ὑπὸ τοῦ ἑκατοντάχειρος ἐκείνου οὐδὲ μεριμνῶντα διὰ τοῦτο τὸν τῆς Θέτιδος Ἀχιλλέα διὰ τὴν παλλακίδα Βρισηΐδα ὀλέσαι πολλοὺς τῶν Ἑλλήνων. participium postulatur Ioui aptum unde τὸν Ἀχιλλέα pendeat: restitui uolo περιτιμῶντα, quod uocabulum a poeta quodam Sibyllinorum ad imitationem Homerici περιτίειν excogitatum esse uidetur. 2, 12 p. 236 Socratis declamationem ex Platonis Clitophonte scriptor laudat: uerba tradita facile ita emendantur: εἰ δὲ [εἴθε cod.] καὶ νῦν ⟨Σωκράτης⟩ τις ἦν, τραγικῇ φωνῇ ἂν ἐβόησεν [ἀνεβόησεν cod.] ἐπί τι βῆμα ὑψηλὸν ἀναβάς.

Ut finem faciam, unum praestabo locum Doctrinae Apostolorum nuper inuentae turpi macula liberatum [2, 2]: οὐ φονεύσεις τέκνον ἐν φορᾷ [φθορᾷ cod.] οὐδὲ γεννηθέντα ἀποκτενεῖς. et abortum et expositionem infantium apud Christianos ex more Iudaeorum prohibita esse omnes periti norunt: φέρειν de grauiditate legitur apud Aristot. de gener. an. B 8 p. 748 a 20 Max. Tyr. 16, 4 p. 292.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

INDEX LECTIONVM.

In ordine theologico.

Dr. Ioannes Bachmann, P. P. O., h. t. Decanus, 1) priv. Genesin explicabit, quinquies p. h, hora XII—I; 2) privatim propheticos libros Joelis, Amosi, Michae interpretabitur, quinis p. h. scholis hora XI—XII.

Dr. Augustus Guilelmus Dieckhoff, P. P. O. h. t. Rector, 1) privatim historiae ecclesiasticae partem primam quinquies p. h. h. IX; 2) privatim historiam doctrinae Protestantium quinquies p. h. h. X tradet.

Dr. Ludovicus Schulze, P. P. O., 1) privatim theologiam biblicam novi Testamenti quinquies p. h. h. VIII; 2) theologiae dogmaticae partem priorem quinquies p. h. h. IX docebit.

Dr. Carolus Fridericus Noesgen, P. P. O., 1) privatim epistulas apostoli Pauli minores quinquies p. h. h. III—IV interpretabitur; 2) privatim evangelium Ioannis quinquies p. h. h. IV—V explicabit.

Ioannes Fridericus Hashagen, P. P. O. des., 1) Homileticen docebit, ternis p. h. scholis, die Mart., Jovis, Veneris hora V—VI; 2) in Seminario exercitationes homileticas et catecheticas moderabitur quater p. h. horis defin.

In ordine iuridico.

Dr. Franciscus Bernhöft, P. P. O., h. t. Decanus, 1) historiam iuris Romani quaternis p. h. h. tractabit h. IX; 2) institutiones docebit quaternis p. h. h. X; 3) conversatorium offert de iure obligationum ternis p. h. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii h. XII.

Dr. Bernhardus Matthiass, P. P. O., 1) pandectarum jus hereditatis et familiae quinis p. h. scholis diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. XI—XII tradet; 2) pandectarum ius hypothecae singulis p. h. scholis die Lunae h. XII—I tractabit; 3) conversatorium de pandectarum iuris prima parte (praeceptis generalibus et de iuribus in re) ternis p. h. scholis die Jovis et Veneris h. XII—I die Saturni h. VIII—IX offert; 4) commilitonibus tractatus iuridicos compositurus singulis p. h. scholis die Mercurii h. XII—I vacabit.

Dr. Hugo Sachsse, P. P. O., 1) ius publicum Germanicum docebit senis p. h. scholis diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. IV—VI; 2) conversatorium offert de iure ecclesiastico singulis p. h. scholis h. c.; 3) introductionem in Corpus Iuris Canonici enarrabit et selecta capita explicanda proponet studiosis iuris et theologiae singulis p. h. scholis h. c.; 4) ius ecclesiasticum Catholicorum et Protestantium in usum studiosorum theologiae explicabit trinis p. h. scholis hh. cc.

Praeterea de historia juris germanici, de jure mercatorio, cambiali, maritimo, de jure poenali, de jure venditionis bonorum lectiones habebuntur.

In ordine medico.

Dr. Theodorus Thierfelder, P. P. O., h. t. Decanus, 1) publice pathologiam et therapiam renum docebit die Lunae h. VI; 2) de aegrotis policlinicis disseret die Mercurii h. X et dim.; 3) exercitationes practicas in clinico medico moderabitur diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris, Saturni h. X et dim.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010 17 of 20

Dr. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam et methodologiam scientiae medicae diebus Lunae et Iovis h. III—IV; 2) privatim physiologiae partem priorem (functiones vegetativas) cotidie hora IX—X tradet; 3) privatissime moderabitur exercitationes physiologicas bis per hebdomadem ternis horis.

Dr. Guilelmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam diebus Martis, Jovis et Saturni hora XII—I docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris horis XII—I et dim. moderabitur; 3) cursum operationum quae in arte ophthalmiatrica adhibentur horis definiendis reget.

Dr. Fridericus Schatz, P. P. O., 1) de partu normali et enormi ter p. h. disseret hora VII; 2) operationes quae in arte obstetricia adhibentur ope corporum artificialium exercendas moderabitur ter p. h. hora VII; 3) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quater p. h. hora VIII moderabitur; 4) de partubus et aegrotis policlinicis disseret bis p. h. hora VIII; 5) aegrotas policlinicas demonstrabit hora II cotidie privatissime.

Dr. Albertus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam generalem cotidie hora VII docebit; 2) cursum anatomiae et histologiae pathologicae habebit additis demonstrationibus et exercitationibus cadavera rite dissecandi diebus Lunae, Mercurii, Veneris horis III—V; 3) exercitatiorum studia inquisitionibus microscopicis et experimentis pathologicis dicata cotidie moderabitur.

Dr. Otto Nasse, P. P. O., 1) de alimentis hominum disseret die Martis et Jovis h. XII—I; 2) pharmacognosin die Mercurii et Saturni h. XI—I tractabit; 3) privatissime exercitationes chemicas et ex physiologia et ex pathologia in laboratorio quotidie moderabitur h. IX—VI; 4) privatissime sed gratis colloquium de rebus physiologicis et pharmacologicis offert d. Iovis h. V—VII.

Dr. Otto Guilelmus Madelung, P. P. O., 1) exercitationes practicas in clinico chirurgico moderabitur cotidie h. IX—h. X et dim.; 2) cursum operationum chirurgicarum moderabitur cotidie h. V—VII.

Dr. Albertus de Brunn, P. P. O., 1) privatim osteologiam et syndesmologiam tradet dd. Martis, Iovis, Saturni h. IX; 2) anatomiam topographicam dd. Lunae, Mercurii, Veneris h. VII; 3) anatomiae systematicae partem II docebit quotidie h. XII; 4) de anatomia generali disseret nec non exercitationes microscopicas habebit dd. Martis et Jovis hh. V—VII pomer., d. Saturni hh. VII—IX matut.

Dr. Julius Uffelmann, P. P. E., 1) cursum practicum bacteriologiae et disciplinae desinfectionem tractantis diebus Iovis et Saturni hora XII—I; 2) cursum hygienes practicum die Saturni horis IX—XII; 3) cursum vaccinationis theoretico-practicum die Mercurii hora XII—I moderabitur; 4) de diaeta aegrotorum die Mercurii hora IV—V disseret.

Dr. Theodorus Gies, P. P. E., 1) exercitationes practicas diagnosis et therapiae chirurgicae diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. XII—I; 2) cursum alligandi die Mercurii h. IV—V; 3) fracturas et luxationes diebus Lunae, Martis h. IV—V tractabit.

Dr. Christanus Lemcke, 1) publice laryngis et nasi morbos bis per hebd. horis definiendis docebit; 2) privatim de aegrotis ambulatoriis ex laryngе auditusque organis laborantibus disseret additis exercitationibus practicis laryngem et organa auditus rite investigandi diebus Lunae, Mercurii, Veneris h. IV—h. V et dimid.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

In ordine philosophico.

Dr. Fridericus Guilelmus Schirrmacher, P. P. O., 1) privatim historiam nationis Germanicae a Caroli V. electione usque ad annum 1789 docebit quinis diebus h. XII; 2) privatim historiam Graecorum a bello Peloponnesio usque ad Alexandri Magni tempora deducet binis diebus h. XI; 3) publice seminarii historici exercitationes moderari perget binis diebus.

Dr. Henricus de Stein, P. P. O., 1) historiam paedagogices qualis recentioribus temporibus exculta est ter p. h. hora III—IV diebus Mercurii, Iovis, Veneris; 2) historiam philosophiae qualis inde ab ecclesiae patribus usque ad novissima tempora exculta est, quater p. h. hora IV—V diebus Lunae, Martis, Mercurii, Veneris; 3) psychologiam ter p. h. hora V—VI diebus Lunae, Martis, Mercurii tradet.

Dr. Reinholdus Bechstein, P. P. O., 1) privatim syntaxin linguae theodiscae docebit quater p. h. diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris hora IX; 2) privatissime exercitationes instituet de antiquitatibus Germanorum privatis praecipue ad vestimenta et arma pertinentibus bis p. h. horis adhuc definiendis; 3) exercitationes seminarii germanici moderari perget, in quo „Frauendienst" poema Ulrici Domini ab Lichtenstein iterum tractabitur.

Dr. Oscarus Jacobsen, P. P. O., privatim, 1) chemiam anorganicam quinquies p. hebd. docebit hora X; 2) exercitationes experimentales in laboratorio chemico quinquies p. hebd. moderabitur.

Dr. Ludovicus Matthiessen, P. P. O., privatim 1) physices experimentalis partem primam docebit quinquies p. hebd. hora VIII; 2) elementa theoriae undulationum explicabit bis p. h.; 3) exercitationes physices practicae solito more instituet; 4) privatissime sed gratis exercitationes seminarii physicalis moderari perget die Saturni horis X et XI.

Dr. Martinus Krause, P. P. O., 1) privatim calculum differentialem et integralem docebit diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris hora XII; 2) priv. mechanicen analyticam tractabit iisdem diebus hora XI; 3) publ. seminarium mathematicum diriget die Mercurii h. XI et XII.

Dr. Fridericus Philippi, P. P. O., 1) privatim syntaxin linguae hebraicae bis p. h. docebit; 2) privatim lectionem quae dicitur cursoria librorum Iosuae et Iudicum bis p. h. habebit; 3) privatim selectos linguae arabicae textus bis p. h. interpretabitur; 4) privatim grammaticam linguae syriacae una cum interpretandi exercitationibus bis p. h. tradet.

Dr. Eugenius Geinitz, P. P. O., 1) geologiam leget sexies p. h.; 2) geologicas excursiones ducet die Saturni hor. p. m.; 3) practicum mineralogicum habebit bis p. h.; 4) exercitationibus mineralogicis vel geologicis quotidie in instituto praeerit.

Dr. Gustavus Körte, P. P. O., 1) de vitae privatae apud Graecos condicionibus quaternis scholis diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. VIII; 2) de artium monumentis ad cyclum Thebanum spectantibus disseret binis scholis diebus Martis et Veneris h. IX; 3) exercitationes archaeologicas moderari perget privatissime sed gratis binis scholis die Mercurii h. V—VII.

Dr. Guilelmus Stieda, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim oeconomiae politicae partem primam docebit diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. VIII; 2) artis statisticae partes historicam, theoreticam, practicam tractabit diebus Martis,

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

Mercurii, Iovis h. III; 3) privatissime exercitationes oeconomicas et statisticas moderabitur die Veneris h. V.

Dr. Maximilianus Braun, P. P. O., privatim zoologiam universalem docebit et demonstrationibus illustrabit sexies h. VII; privatissime exercitationes zootomicas tironum in usum lectionibus supra indicatis adiunget quater p. h.; privatissime et gratis res zoologicas tractandi rationem monstrabit.

Dr. Paulus Falkenberg, P. P. O., 1) botanices elementa tradet quinquies diebus Martis-Saturni h. VII; 2) 3) exercitationes microscopicas moderabitur bis per hebd. h. XI—I tironum, provectiorum cotidianas h. IX—VI.

Dr. Reinholdus Heinrich, P. P. E., 1) de agricultura disseret bis p. h.; 2) exercitationes agrarias reget quater p. bebd.

Dr. Eduardus Schwartz, P. P. E., 1) privatim quibus rationibus Graeci in historia scribenda usi sint exponet quater p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Iovis h. X; 2) Ciceronis oratorem interpretabitur ter p. h. diebus Lunae, Mercurii, Iovis h. XI; 3) publice sodalibus seminarii philologici rhetorica ad Herennium interpretanda proponet et disputationibus eorum praeerit d. Jovis h. VI—VIII.

Alter seminarii philologici rector quibus exercitationibus praefuturus et quae praeterea lectiones habiturus sit postmodo indicabitur.

Dr. Julius Robert, 1) quater p. h. de lingua gallica scholas practicas habebit; 2) historiam litterarum francogallicarum docebit quater p. h.; 3) de variationibus linguae gallicae a saeculo XII factis disseret quater p. h.

Dr. Felix Lindner, 1) privatim bis p. h. Poema illud francogallicum quod inscribitur „Li dis du vrai aniel“ ex ed A. Tobler, Leipzig 1884 interpretabitur; 2) gratis semel p. h. enarrationem de Thackeray's lectures on the English Humorists of the 18th century ed. E. Regel continuabit.

Dr. Fridericus Oltmanns, 1) physiologiae plantarum elementa diebus Martis, Iovis, Veneris h. XI—XII docebit; 2) plantas demonstrabit die Veneris h. V—VII.

Dr. Paulus Moennich, exercitationes artis practicae vim electricam metiendi ter p. h. instituet h. def.

Dr. Albertus Thierfelder, 1) musices leges harmonicas usque ad artis contrapuncticae primordia auditores et verbis et exemplis musicis scribendis docebit; 2) Seminarii homiletici catechetici participes cantiones docebit liturgicas in sacro nostro ritu usitatas; 3) exercitationes cantorum societatis academicae reget.

Bibliotheca Academica diebus et horis lege constitutis, **conclave secretarii** officiis destinatum cotidie h. X—XI patebit, **musea** autem suo quodque tempore commilitonibus aliisque aperientur, geologicum itemque mineralogicum Megalopolitanum cotidie h. XI—XII, zoologicum item cotidie patebit adituris arcessito instituti geologici ministro. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi facultas data est. Sunt etiam magistri, qui alias artes liberales velut gymnasticen publice profiteantur.

Summo academiae magistratu nunc fungitur

Augustus Guilelmus Dieckhoff, Th. Dr.

Praesidet ordini Theologorum **Joannes Bachmann,** Th. Dr.
Jurisconsultorum **Franciscus Bernhöft,** J. U. Dr.
Medicorum **Theodorus Thierfelder,** M. Dr.
Philosophorum **Guilelmus Stieda,** Ph. Dr.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010